N. XXXIX.

Q. B. V. SS. T.

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA

De

COMPETITIONIS FACULTATE

PRACTICIS

BENEFICIUM COMPETENTIÆ DICTA,

Quam

EX DECRETO

MAGNIFICÆ, AMPLISSIMÆ,

longè latéque CELEBERRIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ MARBURGENSIS

PRO

SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS
NEC NON PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS
RITE CONSEQUENDIS,

PUBLICÆ DOM. PROCERUM
ventilationi

Ad diem 14. Decembr.
ſubmittit

LAURENTIUS WALFELD
GUSTROVIO-MEGAPOLITANUS,

MARBURGI CATTORUM
Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, *Acad. Typogr.*
Anno cIↄ Iↄc LXIV.

ſeu de Beneficio Competentiæ

Q. B. V. SS. T.

Proœm.

INvenienti definitionem Actionum *in* §.1. *I. de act. & l.51. ff. de O. & A* in genere traditam, naturam earum ut ſolidum, hoc eſt omne quod debetur, perſequantur omnes, liquet. Hinc etiam res judicata contra reum condemnatum in ſolidum executioni quin poſſit mandari certum eſt, quamvis comdemnati id non patiantur facultates, adeo ut ne minimum ei ſit relinqui neceſſum, ſed ad peram uſque & ſaccum, uti Dd. amant loqui, excuti, quinimo & in carcerem detrudi, deficientibus corporalibus & incorporalibus, prævio tamen Judicis decreto *l. 1. in fin. C. qui bon. ced. poſſ.* valeat. Aſt omnis in Jure Civili definitio eſt periculoſa: parum eſt enim ut non ſubverti poſſit *l. 202. ff. de R. I.*, ſive quod eodem recidit; nulla in jure Civili adeo eſt firma, quin patiatur exceptionem quandam regula. Hinc quod condemnatio interdum in minus fit, ex accidenti propter ſingularem aliquam cauſam eſt. Ea vel ab initio, notante Dn. Frantzkio *in com. ad I. § 36. de act.* ſubeſt; vel ex poſtfacto demum contingit. Ab initio à qualitate rerum vel perſonarum. A qualitate rerum in actione de peculio, quâ de *in* §.10. & 36. *I. d. t.* ex poſtfacto *in* §. 35. *I. eod.* de quibus omnibus tractare inſtituti non patitur ratio, ſcopus reſpuit. Supereſt itaq; à perſonis quibuſdam deſumpta qualitas ſolidum minuens, quâ de impræſentiarum POSITIONES numero non adeò multas EXAMINI PROCERUM ſiſtere Numine allubuit propitio nec non ſecundâte.

 POSIT.

POSIT. I.

Quod ad eam vocata in inſcriptione hujus Diſputationis noſtræ COMPETITIONIS FACULTAS eſt & quidem *ex l. qui gravatos 5. C. de cenſib. & cenſit.* Additum præterea PRACTICIS eam BENEFICIUM dici COMPETENTIÆ. De vocabulo Beneficii certi ex *l. 13. ff. ſol. matrim.* ſumus; de vocabulo autem competentiæ, unde originem traxerit, dubitantem reperimus VIRUM Magnific. atque Excell. Dn. D. Tabor *in præfat. conſultat. Academ. de præſid. debit. infelic.* eodem denique jure, quo προτιμήσεως juri tributum congrui nomen concludentem. In jure aliàs id in quantum facere, item quod facere quis poteſt paſſim inſignitur. Excellent. Dn. Carpzov. *c. 32. defin. 17.* privilegium appellitavit deductionis ſecutus dubio procul Coler. *de proceſſ. executiv. part. 2. c. 3. n. 125.* Practicis etiam exceptio ne quis conveniatur, niſi in quantum facere poteſt, vocatur hæc Competitionis noſtræ facultas, an rectè *vid. infra poſit. 20.*

POSIT. II.

Circa deſcriptionẽ ejus variant Dd. aliter enim Ludwe. com. *ad l. § 37. p. 589.* & Zaſio *ad l. 16. pr. ff. de re judic.* Gyphanio aliter *tract. de ordin. judic c. 24.* Surdo *tr. de alim. tit. 1. quæſt. 78. nu. 1.* Pommereſch. *ad l. §. 37. l. de act.* deſcribere placuit, aſt ſaltem quoad verba, cum mentem undiq; eandem capias. Nobis ſic eſto deſcripta COMPETITIONIS FACULTAS ut ſit

jus ſingulare (*a*) perſonis (*b*) in jure (*c*) expreſſis, ne in totum condemnentur, ſed tantum ipſis, unde congruè vivere poſſint (*d*) relinquatur conceſſum.

(*a*) aliàs privilegium ſive beneficium dictum. Robertus Maranta *in ſingul. & jur. notab.* verbo (beneficium) Id, privilegium

legium & reſcriptum ita diſtinguit ab invicem ut BENEFICIVM ſit PRÆTER jus commune alicui tributum, poſſitque in ſe continere reſcriptum & privilegium adductis Bartol. *in fin ff. de conſtit. Princip. & l. ſi quando C. de inoff. teſtam.* Baldo *in l. ex relationibus C. de ll.* PRIVILEGIVM contra jus commune, dicaturq; privata lex *c. abbati X. de V. S. c. privilegia diſt. 3.* & licet ſit contra jus, interpretandum tamen ſecundum id *l. 2. C. de inoff. teſtam.* RESCRIPTVM deniq; SECVNDVM jus Commune *l. falſo C. de diverſ. reſcript.* aliàs enim non admitteretur *l. quoties l. pen. C. de diverſ. reſcript.* Aliam differentiam adducit Georg. Acac. Enenckel *de privil. parent. & liber.* beneficium ipſam benevolam actionem (quomodo idipſum etiam Seneca *l. c. 6. de benefic.* deſcribit: aliis munus in aliquem collatum eſt, & de Jure Canon. jus percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis ratione ſpiritualis miniſterii Zoeſ. *ad X. lib. 3. tit. 5. n. 2.*) privilegium verò jus per illam conceſſum denotare exiſtimans. Verum utut hæc ſint veriſſima, confundi tamen privilegii & beneficii vocabula in jure & JCtis paſſim certiſſimum eſt.

(*b*) Hinc perſonale beneficium ſive privilegium competitionis facultatem per rationes & textus *infra poſit.* 17. 19. ſubjectas ſtatuimus

(*c*) Unde, quia eadem ipſa certo generi perſonarum in corpore juris extantium conceſſa, privilegium publicum eam rectè vocabimus.

(*d*) Explicationem horum vide infra *poſit.* 23.

POSIT. III.

Hujus privilegii publici cauſam Efficientem Principalē conſtituimus voluntatem ejus qui Majeſtatem & ſic jurium Majeſtatis ſpeciem Νομοθεσίαν habet; Majeſtatem verò penes Imperatorem Iuſtinianum & Anteceſſores ejus reſediſſe nemo

mo præter defunctos eſt qui dubitat. E & Νομοθεσίαν tanquam jurium Majeſtatis ſpeciem.

POSIT. IV.

Hodie licet Νομοθεσία penes Imperatorem & Imperium ſit, non penes ſolum Imperatorem (cui probando vel ſola inſcriptio juris noviſſimi Receſſuum Imperii & non Imperatoris, der Reichs Abſchieden vnd gemeiner Reichs Beſchluß ſufficeret, pro majore tamen confortatione poſitionis noſtræ adducimus 1. clauſulam illam vulgarem: Und haben wir vns mit den Ständen vnd ſie wiederumb mit vnß dahin verglichen/ 2. Textus R. I. *de anno* 1500. ibi: Thun kund daß wir vnß miteinander vereiniget R. I. *de anno* 1564 §. haben ſie in fin. ubi Receſſus Imperatoris & Imperii dicuntur Unſer vnd gemeiner Stände Abſchied R. I. *de anno* 1567. §. aber doch da ſie ibi: Unſer vnd des Reichs Conſtitutionen vnd Ordnungen Pacif. Oſnab. *art.* 8. §. *gaudeant*. 2. Capit. Leopold. *art.* 38.) nihilo tamen minus privilegii generalis conceſſionem ac confirmationem tanquam Regale majus ſolus ſecundum communem opinionem in Imperio ſibi vindicat Imperator Dn. Reinking 1. *de regim. ſecul & Eccleſ. cl.* 3. *c.* 12. *num.* 47, modò tale privilegium I. in grave damnum, diminutionem ac detrimentum Imperii non tendat, quomodo aliàs privilegium caſſari poſſe argumento eſt R. I. zu Augsburg *de anno* 1559. §. *fin. p. m.* 657. ibi: wo aber jemand wes Stands oder Weſens &c. Rumelin. *diſc.* 4. *p.* 2. *ad A. B. th.* 14. 2. tertii præjudicium abſit Dn. Vultej. 1. *Juriſp. Rom. c.* 12. 3. nec magni momenti quæſtio ſit Goldaſt. *tom.* 1. *Conſtit. Imp. p.* 216.

POSIT. V.

Impulſiva & quidem προηγουμένη fuit Imperialis benevolentia curaque ſubditorum: honorificum enim eſt & ad immortalitatem pertinens Parentem Pop. vocari cujuſmodi

fuiſſe

fuiſſe Auguſtum & Ludovicum ejus nominis XII. Galliæ Regem teſtatur Richter. *axiom. polit. reg. 132. p.m. 366.* & Lotharium Imperatorem argumento eſſe poteſt dicterium omniũ merito Principum cordibus firmiſſimè infigendum, extans *5. F. ſub rubric. de feud. non alien.* hunc in modum: Imperialis benevolentiæ proprium eſſe judicamus commoda ſubjectorum inveſtigare, adeò ut id bis repetiverit Fridericus Imperator *2. F 52. & 2. F. 55.* προκαταρκτικὴ vero ſive exterior generalis (quamvis Ludovic. de Sardis citat. Surdo *tract. de alim. quæſt. 68. n. 4.* eam dari poſſe negaverit) durus de pauperatorum debitorum ſtatus; ſpecialis verò in aliis reverentia eaque vel ut ſuperioribus vel paribus debita, in aliis officia invicem privatim in contractu, vel publicè extra contractum præſtita, in aliis merita, in aliis miſericordia, in aliis æquitas & deniq; benigna in aliis Legislatoris extenſio fuit.

POSIT. VI.

Subjectum deſumptum ab iis quibus reverentia ut ſuperioribus competitionis facultatem tribuit primo conſtituunt Parentes (*a*) reſpectu liberorum (*b*): Conventis enim ab his (*c*) in caſibus quibus inter eos & parentes lis eſſe poteſt (*d*) rectè competitionis facultas eſt tributa (*e*)

(*a*) Per parentes hic intelligendi 1. utriusque ſexus: licet enim tale, quale patri in liberos non ſit jus matri, ne jure quidem naturali, eadem tamen quæ patri debetur & reverentia matri *l. 4. ff. de curat furioſ.* 2. non tantum primi, ſed & ulterioris gradus in infinitum *l. 5. ff. de V. S. l. 4. ff. de in jus voc.* Etiamſi 3. ſint naturales i.e. in concubinatu (de quo obiter notandum quod de Jure Civili ſit permiſſus, non verò naturali,

non

non divino tàm veteri quàm novo, non Canonico *c.4.& 9. c.32 qu.4.* nec R.I. *per Ref. Imp. Polit. art.* Von leichtfertiger Beywohnung/ *de anno* 1530. *&* 1548. vid. Dn.Hahn. *ad ff. de concubin. num.3. p.283.284.*) viventes *l.5.& 6. de in jus voc.* etiamſi 4. mater vulgo quæſiverit filium *d.l.4.§.fin.* non tamen adoptivos per rationes ab Enenckelio *d. tract. privil. par. & lib. proleg. num.23. p.m.8.* expreſſas, ut nec vitricum & novercam Enenckel *d. l. num.30.* uti nec maximè injuſtos, illegitimos qui ex damnato coitu procreârunt *arg. §. pen. I. de nupt. Nov.74.c.fin. Nov.98.c.fin.*

(*b*) arg. *d.§.38. de act.* cujuscunque ſexus aut gradus ſive emancipatorum ſive ſacris paternis adhuc obnoxiorum propter prædictam reverentiam ex citatis infra *lit. e.* texubus deſumptam, ſive in adoptionem datorum *l.8. pr. ff. de in jus voc.*

(*c*) Petitâ prius à Prætore in jus vocationis veniâ *l. generaliter 13. ff. de in jus voc. §.3. I. de pæn. tem. litigant.* id quod neque hodiè à foro receſſiſſe etiam quoad Dominum Feudi propter *d.l.13.* & juris neceſſitatem *2.F.22. ibi.* ſalvâ reverentiâ, exiſtimamus. Diſſent. Mynſing, & alii citat. Dn. Ludw. *ſynopſ. feud. c.14. p.m.366.*

(*d*) Subaudienda hæc ſunt de liberis in poteſtate adhuc exiſtentibus: de emancipatis enim nullum eſt dubium quin ex omni causâ agere poſſint; at in poteſtate ſui patris adhuc exiſtens regulariter ſuo nomine nullam habet actionem *per text l.9 ff. de O. & A.* quod cum primis obtinet, ſi quæſtio ſit inter patrem & filium *per text. in l. lis nulla 4. ff. de judic. & in l. qui in poteſtate C. de in jus voc.* & in *l. prætor. § & ſi quis ff. de injur.* adeò ut ſi lis eſſet inchoata abeo dum ſui erat juris, ea ſolvatur, ſi actor per arrogationem in poteſtate ſui eſſe cœperit adverſarii uti ex Marcello refert *Vlpian. in l.11. ff. de judic.* ex regulâ illâ generali quod ſi in eum aliquid devenerit caſum

unde

unde incipere non poſſit, non valeat, quam rationem *d.l.* aſſignavit ipſe Ulpianus: quoniam, inquiens, nec inter nos ab initio judicium conſiſtere potuit; ſicut verò ipſe adverſus patrem ſuum in cujus poteſtate eſt, agere non poteſt, ita ipſi nec præſtari i.e. cedi actiones poſſe textus eſt *in l. actiones 7. ff. de O. & A.* id quod & in patrefam. erga filium ſuum obtinere docemur ex *l. ne cum filiof. 16. ff. de furt.* ubi ratio hęc redditur quod nobiſcum ipſi agere non poſſimus; pater autem & filius qui in ejus eſt poteſtate una eademq; cenſeantur perſona: quippe quod vinculum poteſtatis patriæ ex perſonis quæ naturâ ſunt duæ & diſtinctæ faciat in jure unam, ſicuti contrariâ ratione diſſolutio illius vinculi ex perſonâ quæ una eſt jure, facit iterum duas naturâ *l. 10. ff. de opt. legat.* Theoph. *in §. an ſervo l. de legat.* ubi dicit manumiſſionem vel emancipationem dividere perſonas atque hinc prohibitionem ſive potius impedimentum illud agendi Paulus *in d. l. ne cum filiof.* non ex conſtitutione alicujus juris ſed ex naturâ rei repetit: neque enim eâ de re expreſſè aliquid jure conſtitutum erat; erat tamen illud conſtitutioni juris quod eſt de poteſtate patriâ omnino conſequens. Conſtitutum erat, ut filius eſſet in poteſtate, huic poteſtati erat conſequens, ut is qui eſſet in poteſtate videretur eſſe prorſus unus & idem cum eo qui ipſum in poteſtate habebat. Hæc eſt natura rei i.e. poteſtatis patriæ uti recte interpretatur Accurſius in *d. l. ne cum filiof.* quomodo etiam jus poteſtatis Ulpianus *in l. adoptivum 8. ff. de in jus voc.* opponit præcepto Prætoris; idque potiùs probat Dn. Vultej. *de judic. 1. c. 5. num. 10 p. m. 107.* & Enenckel. *d. tract. privil. 18. n. 4 p. m. 961.* quàm quod ibid. Gothofred. naturæ vocabulo intelligi etiam poſſe exiſtimat affectum, qui à natura parentibus eſt inditus, quomodo utut verum ſit naturam interdum accipi poſſe, eo tamen loco vix admitti poſſe Dn. Vultej. *d. loc.*

exiſtimat: affectus enim ille qui eſt inter patrem & filium, quippe qui ſit ab ipſâ naturâ, immutabilis eſt, ac proinde nullo caſu inter filium & patrem lis ulla poſſet conſiſtere, ſi affectus ille actioni eſſet impedimento prout ipſe Gothofred. rectè ibid. animadvertit. At emancipatione jus patriæ poteſtatis diſſolvitur, atque adeò natura rei, quæ actioni impedimẽto erat, removetur, quo remoto rectè dicitur poſt emancipationem in jus vocare patrem litemque ei movere permitti filio causâ cognitâ & veniâ à Judice prius impetratâ *l. qui in poteſtate C. de in ius voc.* patri item permitti in jus vocare filium etiam ſine petitione veniæ, uti eleganter ſcribit Cujacius 9. *obſ.* 13. Verum natura rei Civilis qualis eſt patria poteſtas non eſt tàm immutabilis ut eſt natura rei, ut ita dicam, pergit Dn. Vultej. naturalis, qualis eſt reverentia parentibus à liberis debita. Hinc etiam eſt ut poteſtate patriâ nondum diſſolutâ ac proinde impedimento illo adhuc ſtante quibuſdam caſibus inter patrem & filium conſiſtat judicium. At quinam iſti? Primus eſt *in l. ſi putas C. de hered. petit.* vid. Dn. Vultej. ALTER in *d. l. lis nulla 4. ff. de judic.* ubi excipitur Caſtrenſe peculium. Sed quid de quaſi Caſtrenſi? idem cenſendum Dn. Vultejus *d. loc.* rectè autumat cum hoc ſuperiori per omnia adæquatum & in his duobus filiif. pro patribusf. & iis qui ſint ſui juris habeantur, ut hic poteſtatis patriæ nulla habeatur ratio. Conſentit Socin. *in reg. lis nulla. m. 301.* ibi tertio *p. 417.* allegans text. junct. Gl. *in l. adoptivum pr. ff. de in jus voc. & Gl. in d. l. 4. de judic per l. cum oportet §. eodem C. de de bon. quæ lib.* Et de his duobus caſibus id jure veteri regulare fuiſſe teſtatur Buſius *in com. ad ff. de judic. ad d. l. 4.* adſtipulatur huic etiam opinioni Cujac. 9. *obſ.* 13. & Georg. Acac. Enenckel. *d. tr. priv. 18. num. 6. adde & privil. 10. num.* 34 ubi tamen

quod

quod filius ex procuraturâ lucratus eſt quaſi caſtrenſi peculio non accenſeri rectè ſtatuit, cui conſentit Dn. Weſembec. *ad ff. de procur. nu.* 10. Sequitur id quod Dd. plenum adventitium dicitur, id ſc. cujus plena proprietas filio eſt acquiſita 1. ſi filius ſ. heres inſtitutus contradicente patre hereditatem (quod poteſt) adierit *l. fin.* §. 1. *& ſeq. C. de bon. quæ lib.* 2. ſi expreſſâ voluntate teſtatoris ne patri uſusfructus cedat, legatum acceperit *Nov.* 117. *c.* 1? Aff. de eo per Bartol. & Caſtrenſ. *ad d. l.* 4. Dn. Vultej. *d. loc.* & Enenckel. *d. priv.* 18. *c.* 4. *num.* 4 *p.* 934. *per* Gl. *in d. l.* 4. ubi plures addit rationes & *d. N.* 117. *c.* 1. Superſunt adventitia ea in quibus patri competit uſusfructus. De iis Buſius d. loc. hunc in modum: probabilius jure novo in adventitiis quorum uſusfructus quæritur patri idem quod in Caſtrenſibus admiſſum dicimus per Bartol. ad *d. l.* 4. *& in vulg. l frater à fratre ff. de condict. in debit.* quod & de ſuis moribus magis ſequendum putat Caſtrenſis ad eandem *l.* 4 dominium enim eorum penes, inquit, filium eſt, ac niſi eo jure utamur pater re fructuariâ abuti pro arbitrio poterit contra quàm jure cautum eſt *l. C. de bon. qualib. & tit. de bon. matern.* Buſius *d. loc.* Tertius caſus eſt in actionibus extraordinariis: utut enim jure ordinario inter patrem & filium regulariter nulla ſit actio, extra tamen ordinem ſæpe inter illos actio incidit, quô de vid. Dn. Vultej. junct. Socin. *dd. ll.* Enenckel. *d priv.* 18. *per tot. c.* 4. Quæremus cum Dn. Vultej. An in propoſitâ quæſtione juri Civili per jus Canon. ſit derogatum? Quamvis id nonnulli, inter quos Socin *d. loc. ibi: ſexto. p. m.* 418. & alii partem huic & Buſio *d. l. n.* 3. partem Enenckel. *d. tr. de priv. c.* 3. *n.* 16. *p. m.* 952. citati Gothofred. *in not. ad Schneidevv. tit. de pat. poteſt. lit. c.*

 p. m.

*p.m.*70.*&* 71. velint, contrarium tamen rectius Buſius, Dn. Vultej. Enenck. *dd. loc.* Rittersh. *part.* 5. *diff. 1. Civ. & Can. c. 11. p m.*166. defendunt: Nec injuriâ, inquit Enenckel. *d. loc*: nuſquam enim Jure Canon. hôc jus parentum quod ratione divinâ ſimul & naturali niti conſtat abrogatum invenitur; indubio autem diſcordia inter jus Civile & Can. non eſt introducenda, niſi ubi reperitur expreſſum *c.* 1. *de nov. op. nunc.* Bart. & alii *in l. privil. C. de SS. Eccleſ.* & cum poteſtatem relinquat parentibus Jus Canon. uti apparet ex *c. ſi annum de judic. in* 6. *& ſimil.* quis non ea, quæ ſequuntur, idem velle crediderit? honorum verò reverentiam & pietatem debitam parentibus tribuere cujus hoc quod agimus, pars eſt, quo magis quàm hoc jure præceptum putabimus? Ita Enenckel! Non poſſum quin ſubjungam Buſium *citat. loc.* hujus rei conſiderationem, non valde de moribus neceſſariam hodiernis eſſe, quia patria h. t. poteſtas exigui ſit momenti: nam plerisque, ut ille dicit, in locis quacunque de cauſâ peculiari liberi contra parentes agere queunt, quod tamen uti & Nos hâc poſit. *lit. c.* cum moderamine accipiendum, ut humiliter & liberali cum modeſtiâ fiat *per c. quæritur c.* 2. *quæſt.* 7. & Dd. *in l.* 11. *ff. de dol.* deſiderat.

(*e*) *l. ſunt qui ff. de re jud.* §. 38. *I. de act.*: ſancta enim ſemper & honeſta perſona patris filio videri debet *l* 9 *ff. de obſeq. par. & patron.* cum nullus affectus reperiatur extraneus qui vincat paternum *l.* 7. *C. de curat. furioſ.*

POSIT. VII.

Secundum tribuimus locum Patronis *d.* §. 38. quorum appellatione & patronæ continentur *l.* 52. *ff. de V. S.* eorumq; liberis atque parentibus *l* 17 *ff. de re judic. l.* 5. *ff. de obſeq. par. & pat. præſt.* liberto enim, inquit Ulpianus *in d. l* 9. *eod* ſemper ſancta & honeſta perſona patroni videri debet, idque propter

Ingens

ingens libertatis beneficium conceſſum, quæ inæſtimabilis res *l. 106. ff. de R. I.* §. 7. *I. qui & ex quib. cauſ. manum.* Hæc ut plenius extendamus materia ſervitutum inter Chriſtianos & Romanos diſſimilis planè, imò rariſſima (niſi quod hodie contra immaniſſimos Turcas & hujus farinæ cæteros veteri rigore etiamnum utamur Duaren. *com. ad ff. qui teſt. fac.* Myn-ſing. *ſchol. ad Inſt. de jur. perſon.* §. 3. & *t. quib. mod. pat. pot. ſolv.* §. 5. *Schneidevv. Bachov. ad Treutl. vol. 1. diſput. 24. th. 11. lit. f.* & quidem ex æquitate Juris talionis; Chriſtianis autem diſplicuit captos in bellis ſuis ſervos fieri Beſold. *cl. 2. colleg. polit. diſput.* 7. §. 37. Hinc eſt quod vendi nequeant captivi, λύτρον enim præſtando ſalvâ ſemper libertate diſcedunt, ad operas urgeri & alia pati ſervilis conditionis: Omnes enim Chriſtiani ſunt unius Civitatis i. e. Eccleſiæ cives Pacius *ad* § 4. *I. de jur. perſon.* Duaren. *d. loc.* cum bella geruntur, inquit, inter Chriſtianos nulla captivitas eſt, quæ ſervitutem inducat. Hoc vulgo receptum eſt & ſolet hâc ratione confirmari: Inter Chriſtianos bella tantùm civilia ſunt: Eccleſia Chriſtianorum communis quædam Civitas eſſe intelligitur & cum ſint ejuſdem Civitatis cives, bella quæ geruntur ſunt civilia; At in bellis civilibus captivitas nulla eſt quæ ſervitutem inducat, idq; expreſſum eſt *in l.* 21. §. 1. *ff. de captiv.* ita Duaren!) diſſuadet: Homines enim noſtri proprii vulgo die ſeibeigene Leute manu Dominorum miſſi, hoc privilegio Dominis adſtricti non ſunt.

POSIT. VIII.

Militantem tertio ex conſuetudinibus Feudalibus (ita enim adhuc hodie, licet in ſcripturam redactæ ſint eas rectè vocamus) pro Seniore feudi reverentiam producimus ex *c. dominus 2. F. 22.* ut beneficio noſtro fruatur, licet & alio capite hoc ipſum ei debeatur *per text. 2. F. 58. pr. de not. feud.* (vid. infra *poſit.* 14.) Schrader. *de feud. part. 2. c. 3. num.* 93. quibus

 texti-

textibus acquieſcimus, tacendo rationes & ab alimentandi juxta veriorem Dd. ſententiam & à ſubventientiæ in periculis neceſſitate deſumptas, quæ inter primum ſibi vindicet locum egeſtas & fames *l. 1. C. de op. libert. c. 3. X. de furt. l. 2. C. de pat qui fil. diſtraxer.* omnium rerum clades atque acerbitates ſuperans teſte Joſepho *6. de bell. jud. c. 14.* animi tormentum, corporis labes, magiſtra peccandi, diriſſima neceſſitatum, deformiſſima malorum Quintilian. *in declamat. de quib.* & *ſimil.* vide Rittershuſ. *2. partis feud. c. 1. quæſt. 40. p. m. 286. & ſeq.*

POSIT. IX.

Hæc de ſubjectis quibus ut ſuperioribus competitionis facultas data, tradidiſſe ſufficiant. Acceſſus nunc ad ſubjecta, quæ tanquam paria eâ fruuntur, faciendus, virum nempe & uxorem. Viro ceu capiti familiæ reverentia ſoluto etiam matrimonio debetur ab uxore *l. 12. ff. ſol. mat.* ibique Barboſ. *num. 2. l. un. §. 7. C. de rei uxor. act. §. item ſi de dote I. de act.* Inde etiam competitionis facultas eidem convento ſuper reſtitutione conſumptæ dotis ab uxore indulgetur *dd. text.* Gail. *2 obſ. 83. n. 21.* ſive actione exſtipulatu quæ hodiè propria dotis *§. 29. I. de act.* ſive ex conſtituto, dum maritus forte plenã dotis ſolutionem conſtituit *l. 3. pr. ff. de conſtit. pec.* actum ſit: Imperator enim hìc in genere ſi de dote in judicio, non ſi de dotis judicio actum, loquitur, Frantzk. ex Mudæo *ad d. §. 37. de act. n. 2.* Sed quid ſi uxor alio ex contractu agat? Idem dicendum, ut non condemnetur maritus, niſi quatenus facultates ejus ferunt, maximè ſi contractus conſtante matrimonio fuerit celebratus *l. non tantum 20. ff. de re jud.* Dn. D. Joh. Walfeld Coſ. ht. Diœceſ. Oſnab. graviſſimus, Dn. Patruus meus multis mihi nominibus magnus ac percarus in ſua *de ceſſione bonorum* Inaugurali *concluſ. 3.* Zaſius *in §. item ſi*

de

de dote 37. *n.* 2. beneficium enim hoc non cauſæ ſed perſonæ eſt *l. quia tale* 13. *ff. ſol. mat* & reverentiæ maritali debitum *d. l. un.* §. 7. *C. de rei uxor. act.* Excipitur funeraria actio quæ licet ſoluto demum matrimonio oriatur in ſolidum tamen contra maritum non datur *per text. l.* 27. *&* 28. *ff. ſol mat.* Fallunt autẽ prædicta l. in contractu poſt divortium factum inito: tunc enim in ſolidum tenetur, quia res in eum caſum pervenit à quo incipere non poteſt *d l. non tantum* 20. Perez. *in C. de execut. rei judic. nu.* 28. Schneidew. *ad d.* §. 37. eoque pertine *l.* 35. *ff. de negot. geſt.* ubi datur actio negotiorum geſtorum contra maritum in ſolidum Brunn. *de ceſſion. bon. quaeſt.* 20. *n.* 7. *c.* 4. Barboſa *ad d. l.* 16. *de re judic num.* 90. *& ſeq.* Facit quoque quod earum rerum nomine quas durante matrimonio amovit ſimplici actione rerum amotarum teneatur; divortio autem facto furti *l.* 3. *ff. de rer. amot.* Dictum in ſuperioribus fuit Ex Contractu: hinc II. fallunt ſi ex delicto conveniatur *l.* 52. *ff. de re judic.* delinquenti enim non datur privilegium Schneidew. *d. loc. num.* 4. Quomodo III. fallant vide *infr. poſit.* 24. IV. non procedunt in matrimonio putativo Surd. *d. loc. n* 47. nec in eo quod contra legũ præcepta eſt contractũ *arg.* §. *pen. I. de nupt. l.* 3. *de jur. dot.* ſi maritus conventus negâſſet matrimoniũ Barboſa ad *d. l* 16. *n.* 105. Brunn. *d. tract. n.* 12. *caſ* 9. Surd. *tract. de alim. num.* 20. *arg. l.* 22. *ff. de re judic.* V. ſi maritus inops, uxor verò pauperrima ſit, ſecundum Bart. *in l.* 12 *ff ſol. matrim.* Ordinata enim caritas à ſe ipsâ incipit *arg l. præſes* 6. *C. de ſervit. & aq.* ubi Salicet. & Gl. referens vet. verſic:

Ille perit merito qui plus ſe diligit ullum.

facit & *l. ſi quis à liberis* 5. § *de alimentis* 25. *ff. de agnoſc. & al. lib.* c 9. *c.* 23. *quaeſt.* 5. *c.* 18. *ibi*: quia caritas eſt fons proprius cui non communicat alicujus &c. *X. de regular*, & æquius ut mari-

tus

tis mendicot quàm mulier ſuo proprio careat: neq; enim debemus unũ altare diſcooperire & aliud cooperire dicit Baldus *in auth. niſi rogati n. 5. C. ad SCt. Treb. per l. aſſiduis 12. §. exceptis C. qui pot. in pign.* Denique VI. ceſſant ſi non ipſa mulier ſed extraneus qui dotem dedit & expreſsè eam ſibi reddi ſtipulatus eſt cum marito agat *d. l. un. §. 7. & 13. C. de rei uxor. act.* Georg. Frantzk. *ad d. §. 37. n. 11, 12* Schneidew. *eod. n.* 8. & alii ab eo citati: addit quidem *n. 7.* aliam fallentiam, ſed hæc nobis non placet.

POSIT. X.

Allegata in ſuperioribus *l. 20 ff. de re judic.* Competitionis noſtræ Facultatem uxori tribuit: æquâ enim ſervandum lance ſicubi uxor conveniatur à marito ratione dotis promiſſæ aut ex contractu v. c. ſocietatis inter eam & hunc conſtante matrimonio celebrato æquitatis ſuggerere rationem Modeſtin. *in d. l.* ait, addatur *l. ex diverſo 17. §. item ſi mulier ff. ſol. matrim.* & Carpzov. *part. 4. tit. 8. reſp 58. num. 1.* quæ de uxore diximus fallunt in concubinâ.

POSIT. XI.

Subjectum cui ratione officiorum privatim in contractu præſtitorum ſuccurritur, Socius eſt, *Coler. de proc. execut. cit. loc. num.* 118. ſive omnium bonorum *l. 63. ff. pro ſoc. l. 16. ff. de re judic.* ſive alicujus rei *d. l. 63.* ſi enim finitâ ſocietate alter ab altero JUDICIO SOCIETATIS conveniatur, condemnatio ſaltem pro poſſe ſocii fit. Quod diximus JUDICIO SOCIETATIS, confirmat Ulpian. non abſque myſterio *in l. ſunt qui ff. de re judic.* eos, inquiens, qui pro SOCIO conveniuntur, in id tantùm quod facere poſſunt conveniri. Et Iuſtinianus *in §. ſunt præterea 38. I. de act.* Si Socius cum Socio JUDICIO SOCIETATIS agat, non eum conſequi plus quàm adverſarius poſſit. His ſane verbis clarè ſatis uterque vult, ſi ſocius non

conve-

conveniatur pro Socio, nec agatur judicio SOCIETATIS, ſed alio, putà empti venditi, locati conducti, mutui, depoſiti &c. aliud dicendum fore, ni ſi actio alia occaſione ſocietatis aut ex contractu durante ſocietate inito ſit nata Schneidew. *ad d.§.38. I. de act.* Jacob. Cujac. *lib.24.obſ.c.38.in fin.* Hering. *de fidej.c.27.part.4.num.91.p.m.651.col. 2.* Ceſſat etiam porrò COMPETITIONIS FACULTAS ſi ſocius ſe ſocium negaverit *l.22.§.1.ff.de re judic. l.67.in fin.ff.pro ſoc.* negans enim id quod eſt cauſa beneficii perdit illud *l.10.§.1.ff.de fidej.* & hoc procedit ſi ſimpliciter litem negativè ſit conteſtatus, ſecus ſi negando narrata prout narrantur id fecerit, uti ex Bartol. *ad cit.l.10.* tradit Schneidew. *d.l.n.4.p.m.*1611.

POSIT. XII.

Propter officia Rei præſtita publicæ, inter varia, quibus aliàs fruitur, hoc & militi ſuccurritur beneficio, ſtipendiario ſeu armato *l.6.& 18.ff.de re judic.* ibique Donellum. Georg. Acac. Enenckel de priv. milit. paſſim, præſertim *c.6.n.12.& ſeqq.* ubi per milites intelligit etiam Equites die Ritter quos etiam ſub iis aliàs comprehendi dubios inter alia nos non ſinit *A.B.c.1.* §.2. addat. Rittersh. *proleg.partit.feud.p.3.*

POSIT. XIII.

Meritum conſulit donatori hoc beneficio, ſi is vel actione ex ſtipulatu vel condictione *ex l.35.§.5.C.de donat. l.33.ff.eod.* conventus à donatario ad rem donatam tradendam *d.§.38.in fin.l.Divus 28.& ad eam* Joh. à Sande *ff.de R.I. l.19.§.1.ff.de re judic.junct.l.49.cum ſeq.50.ff.eod.* Ex quorum textuum priore non poteſt non in propatulo eſſe donatoris potiorem ac reliquorum omnium (excipe tamen & Dominum Feudi *2.F.58.*) rationem eſſe, huicque plenius conſuli. In poſteriore hæc additur ratio ne liberalitate ſuâ inops fieri periclitetur. Deducit itaque præter alimenta & æs alienum quod ſcilicet

non

non ex ſimili cauſâ i. e. ex donatione contractum eſt: nam ſi pluribus ex donatione debeatur putà primo, ſecundo, tertio, agente primo non deducitur quod debetur ſecundo vel tertio ſed potior erit cauſa occupantis i.e. prævenientis *l.19.pr.ff. de re judic. arg. l.15. C. de rei vindic*: Vigilantibus enim jura ſunt ſcripta, non dormientibus *l. pupillus 24. in fin. l.6. §. ſciendum 7. quæ in fraud. credit.* licet is qui prior occupavit ſit tempore poſterior: nam ratio temporis obſervatur in hypothecariis tantùm non in actionibus perſonalibus *l.8. ff. qui pot. in pignor.* Procedunt autem prædicta in donatione abſolutâ, ſimplici & κατ' ἐξοχὴν nec non directâ quibuſdam dictâ, ex merâ liberalitate profluente. Limitantur 1. in donatione remuneratoriâ quæ propriè non eſt donatio ſed potius quædam remuneratio & beneficii permutatio ſive compenſatio *l. 25. §. conſuluit 11. ff. de hered. petit.* 2. in donatione ob cauſam concernentem favorem & utilitatem dantis, veluti ſi Cajus dixerit Sempronio: Semproni dono tibi C. ut mihi ædifices domum: ſaperet enim hoc caſu donatio contractum innominatum do ut facias, unde beneficium noſtrum locum ſibi non vindicabit, ſecus ſi donatio fieret ob cauſam concernentem commodum ipſius recipientis: veluti: dono tibi C. ut tibi ædifices domum. Et hâc diſtinctione obſervatâ ſe non videre ait Schneidewin. quâ ratione extraneo ſi dotem promiſerit ad quam nullo modo obligatus erat Competitionis noſtræ facultas denegetur, cum id textus *l.33. ff. de jur. dot.* expreſsè confirmet. Limitatur 3. ſi donator ſolverit: nam tunc condicere non poteſt *l.9. ff. de condict. indebit.* quamvis Rittersh. Gloſſam & Dd. *in l. ult. C. de revoc. donat.* & Ferrar. *in form. libell. pro donat.* tradere etiam à donatario tanquam ingrato revocari donationem, ſi donatorem inopem neglexit alere, referat *2. partit. feud. c. 1. quæſt. 40. p. m. 286.*

POSIT.

Cui miſericordia beneficio adipiſcendo cauſam præbuit, is eſt qui non malo more ſed fortunæ iniquitate ſive ſolis adverſæ fortunæ caſibus (v. c. naufragio *l. 10. ff. qui & à quib. man.* latronum & pyratarum violentiâ *l. 18. commodat.* ob fraudem debitorum aut fatiſcente mercatu, wann der Handel vergeht/ umbſchlägt/ item was der Handelweg friſſet/ quo ſenſu periculoſus homo mercator Catoni eſt viſus *pr. lib. de re ruſtic.*) lugubre *l. 22. C. de adminiſt. tutor.* contumelioſum *Nov. 135. pr. c. 1.* flebile *l. 7.* individioſum *l. 5.* nec non miſerabile ceſſionis bonorum auxilium *l. 8. C. qui bon. ced. poſſ.* ſubiit: Der ſeine Güter den Creditorn übergeben und auffgetragen: tantum enim abeſt ut per ceſſionem hanc bonorum civilis aut naturalis tollatur obligatio *l. 1. C. qui bon. ced. poſſ.* ut ea potius firmo ſtet talo, donec ei plenè ſit ſatisfactum: obligatio enim re contracta non aliter quàm RE diſſolvi poteſt *pr. I. quib. mod. toll. obl.* id quod ex futuris, ſi forte poſtea ad meliorem perventurus fortunam ſit ex integro perſolvendum (niſi forte modicum quid ſit, cujus ratio, monente Dn. Hahn. *obſ. ad ff. de ceſſ. bon. n. 4. p. m. 741.* juxta extraordinaria principia haberi non ſoleat *per l. 4. ff. de reſtit. in integ.*) §. *fin. I. de act. l. 6. ff. de ceſſ. bon. L. 4. eod.* ſaltem tamen in quantum facere poteſt *d. l. 4. Nov. 135:* fortunæ enim vitia imputari nemini poſſunt *l. 6. §. 7. de off. præſid. l. fin. §. 1. ff. ad l. Rhod. de jact.* & afflicto non addenda afflictio *l. 14. ff. de off. præſ. l. 4. §. 2. ff. ad L. Rhod. de jact.* in humanum ſpoliatum fortunis ſuis iterum in ſolidum condemnari, uti ait Imperator *in d. §. fin.* Idque non ſolùm de Jure Civili ſed & Canon. procedere Rittershuſ. *5. diff. I. Civ. & Can. c. 17. p. m. 172. & ſeq. & Zoeſ. ad X. 2 tit. 27. n. 14.* exiſtimat. Hinc ſequitur malitioſos decoctores vulgo Banquerottirer vel mollius Fallyten/ qui nequitiâ, dolo, luxu, prodigalitate non

ſ. cti ſunt ſolvendo O. P. *de anno* 1577. *tit.* 23. *l. fin. quæ in fraud. credit.* uti nec ceſſionis beneficio ita neque hoc noſtro gaudere: Hi enim ſuo vitio in egeſtatem incidunt *c. non ſat* 14. *diſt.* 86. quâ penitus laborare debent ut aliis exemplo ſint *l.* 31. *pr. ff. depoſit.* add. & poſit. huic infra *poſit.* 23.

POSIT. XV.

Æquitas ſuccurrit filio emancipato vel exhæredato cõvento ex cauſis, ex quibus patri acquirebatur, durante patriâ poteſtate contractis, ſi inde locupletiores non ſint facti *l.* 2. *ff quod cum eo* &c. Et hoc, inquit Frantzk. *eod. n.* 6. *p. m.* 405. æquiſſimâ ratione eſt conſtitutum: quia enim quicquid ex ratione veteris juris & quod uſitatum fuit tempore JCtorum, ex quibus *tit. quod cum eo &c.* compilatus, filiusfam. acquirebat, patri cedebat, in cujus poteſtate erat, conſentaneũ quoque eſt ut paterfam. factus non aliter quoque ex contractu ſuo conveniatur, niſi in quantum bona patris, quæ contractu iſto aucta ſunt & locupletata ad eundem perveniant. Unde ſi hoc non contingat, vel quia pater adhuc vivit, vel quia eſt exhæredatus, vel aliâ de causâ excluſus æquitas non patitur ut vel pater, vel alius apud quem bona ſunt, commodum, filius verò univerſum incommodum ſuſtineat. Non aliter itaque Prætor quàm in quantum facere poteſt filius, actionem & judicium ſe daturum pollicetur, quam ſententiam & ſummam *d. l.* 2. *& t. t. quod cum eo &c.* Frantzk. eſſe dicit. Locupletior autem factus non cenſetur ſi ex minimâ parte ſit inſtitutus *d. l.* 1. §. 1. idq; iterum ſecundum extraordinaria principia.

POSIT. XVI.

Superſunt quos benigna LEGISLATORIS extenſio gaudere competitionis facultate facit, interque eos 1. ſocer & uxoris & mariti. licet enim hos parentis locum obtinere prædicet *in l.* 16. *ff. ſol. mat.* Pomponius, adeoque propter reverentiam

rentiam (unde etiam veteres ſocerum cum genero lavari nefas referente Valer. Max. *2. c. 1. num. 27. p. m. 54.* duxerunt) beneficium noſtrum accommodari alicui poſſit videri, nihilo tamen minus ſoli prædictæ rationi eſt tribuendum: ſi enim à reverentiâ deſumpta ſufficeret ratio, pluribus aliis, de quibus quod parentum loco ſint v. c. patruo, avunculo, materterâ & ſimilibus, prædicatur, id competeret, quod tamen per infra tradita fieri non poteſt licitè. Habere autem perſonas modò dictas hoc privilegium certi *ex l. 21. cum ſeq. ff. de re judic. l. 15. §. fin. ff. ſol. matrim.* ſumus. Atque hæc ſi cum patre ſui mariti agat mulier de dote verè numeratâ reſtituendâ, clara & perſpicua ſunt, nulla amplius explicatione indigentia; verum ſi à patre uxoris velit maritus dotem promiſſam vel condict. ex *l. 6. C. de dot. prom. & nud. pollic.* vel actione ex ſtipulatu exigere, res adeò clara propter diverſos in contrarium textus, non eſt; Alterum autem eorum *in l. ex diverſo 17. pr. ff. ſol. matrim.* reperire eſt, cujus Autor JCtus Paulus, ubi allegati Neratius & Proculus juſtum habent dari ſocero id beneficii; alter verò extat *in l. 21. ff. de re judic.* quæ & ipſa JCt. Paulum Autorem habet, ubi æquum hoc quidem videri, ſed alio ſe jure uti dicens hanc in rem teſtimonium Neratii adducit quod *& in d. l. 17. pr. in* id, ſed hìc in contrarium vocando, fecerat. Pro conciliatione horum textuum utemur diſtinctione quam nobis ſuppeditavit *l. pen. ff. de jur. dot*: aut enim agit cum ſocero ſuo gener de dote promiſsâ ſolvendâ durante matrimonio, aut eo ſoluto. Si durante matrimonio, intereſt an bonâ, num malâ fide promiſerit genero dotem? priore caſu gaudet competitionis facultate ſocer & quidem *per d. l. 17. pr. & præprimis d. l. pen. in med. ff. de jur. dot* poſteriore ſi v. c. doloſe induxerit generum adducendam promiſsâ dote amplâ filiam, cui ſolvendæ ſciebat ſe imparem, quo non facto gener nunquam duxiſ-

 ſet

ſet filiam, prædictum ceſſare vult privilegium *d.l.pen.in fin.ff. de jur.dot. arg.l.63.§ 7.ff.pro ſoc.* & *l.1 C.ſi tut.vel curat.* Si tandem deniq; de dote promiſsâ ſoluto matrimonio agatur cum ſocero plane ei denegandum *l 21.* & *22.de re judic.* volunt. II. Legislator extendit hoc beneficii ad ejuſdē matrimonii filios in caſu repetendæ dotis *l. 18.ff.ſol. mat.* quæ lex cum de filiis loquatur, ad filios ſaltem primi gradus, utriusque ſexus, non verò ad nepotes (uti aliàs *in l 84. 201.* & *220.ff. de V. S.*) in privilegiis *arg. l 8.ff. de excuſat. tut.* extendendum putamus cum Anton. Perez. *in C. de execut. rei judic. nu. 31. p. m. 463.* & *ſeq.* Brunn. *de ceſſ. bon. d.l.num.4.* Zaſio *ad d.l.24.num. 9.* & *ſeqq.* & Dd.commun. *de re iudic.* III. Defenſor mariti ex hoc capite tutus eſt *l. 14.ff ſol. matrim.*: hic enim qui ſe maritum vel dominum promittit defenſurum eâdē convenitur actione, quâ dominus & proinde quaſi ejus loco ſurrogatus eodē modo venit condemnandus, modò condemnatio fiat vivo adhuc domino ſive marito, Perez. *d.l.n.32.*

POSIT. XVII.

Ex quibuſdam poſitionum noſtrarum deſumere ſtudent & conantur Dd. argumenta, extendentes in ſpecie hanc Competitionis facultatem ex poſit. VI. ad liberos Caſpar. Manzius *decad. 3. quæſt.1. n. 15.* ad parentes & liberos ſpirituales Surd *de alim. quæſt.78. tit 1.n.24.* VII. libertum Ioh. Faber. *ad § 38 de act. num 4.* Iaſon. *ibid. num.5.* Angel. *num.3.* Mynſing. *num.5.* IX. & X. ſponſum & ſponſam XI. fratres citati Heringio & colonum partiarium Brunn. *d. tr. quæſt. 33 ſ. 4.* XII. Doctores, Studioſos, Illuſtres, Magiſtros, Profeſſores Coler. *cit. loc. num.119.* Weſenbec. *conſ.50 num. 20.* Clericos, Surdus *num.20 21.* Advocatos *num.22.* XIV. debitorem Eccleſiæ *n.23.* & ex benignitate Interpretum ad debitores bello aliisque funeſtis calamitatibus & caſibus exinanitos atque depauperatos,

peratos, uti hoc æquum habet Vir Magnific. atq; Excell. Dn. Tabor *in citat. jam. tract.* & alios quos referunt partem citati Coler. & Weſembec. partem Brunn. *d. tr. quæſt. 3. pr.* & ad omnes omnino Chriſtianos Coraſius. Sed quia competionis noſtræ facultas ita eſt perſonalis, ut etiam ad heredes, nequidem ſuos (falluntur enim omnino debitores qui hoc noſtro beneficio in tantum ſibi proſpectum exiſtimant, ut relictum ad ſui ſuſtentationem poſt obitum in liberos aliosve heredes ſucceſſionis jure transferre poſſint: nec enim aliâ conditione bona ab executione excepta debitoribus privilegiatis ad ſuſtentationem adſignantur, quàm ut poſt mortem debitoris iterum creditoribus applicentur Coler. *d. loc. n. 2.*) fruentis non tranſeat *l. 12. cum l. ſeq. ff. ſol. matrim.* qui tamen aliàs cum defuncto una eademque reputantur perſona *Nov. 48.* & certæ perſonæ enumerentur in jure, in ſuperioribus exhibitæ hujus privilegii nomine exultantes, quibus nulla earum intereſt, ideoq; contra mentem Iuris Communis & Doctrinalis Interpretationis limites ad eas fit extenſio, cum nullus ubi hoc inventu ſit, produci textus poſſit; erubeſcamus autē lege deſtituti loqui *c. conſideremus 5. Nov. 18. de trient. & ſemiſſ.* Et in ſpecie PRIMÒ quod de liberto ſtatutum temerè recipiendum non eſſe, cum nec alere eum patronus ſimpliciter, ſed ſub conditione quadam teneatur *l. 6. ff. de agnoſc. & alend. lib.* Ludw. *ad Inſt. p. m. 591.* rectè docet. SECUNDÒ quod de depauperatis per belli calamitates diximus ipſe Vir Magnif. Dn. Tabor, ſi ſtrictam privilegiorum naturam ſequi oporteat, in contrariam ſe ire cogi ſententiam fatetur. Nos ad præſcriptum ſupra *poſit.* 14. modum tantum abeſt ut eis denegemus, ut ambabus idipſum largiamur manibus, non tamen ſimpliter. TERTIÒ non poſſum quin me expediam à quæſtione an frater conventus à fratre hoc beneficio tueri ſeſe poſſit?

N. li-

N, licet ſe pertinaciter non repugnare, ſi fratres indiviſas parentum hereditates poſſidentes ſtent in communione & ſint ſocii. Omnium bonorum ut *in l. cum duobus* §. *ſi fratres ff. pro ſoc.* Roman. *conſ.* 145. Alciat. *de præſumpt. reg.* 1. *præſ.* 25. Em. Soarez. *com. op. lit. F. num.* 341. quin poſſint etiam 2. uti Competitionis facultate non ut fratres ſed ut ſocii Anton. Hering. *de fidei. part.* 4. *c.* 27. *p. m.* 633. *num.* 98. non verò ſimpliciter, profiteatur.

POSIT. XVIII.

Quia verò Nob. ICt. Bened. Carpzov. de Saxoniâ contra Coler. teſtatur ibi id privilegii recenſitis & ſibi & Colero perſonis adhuc hodiè tribui verbis: Welches beneficiũ competentiæ denen Illuſtribus, Adelsperſonen/ Doctoribus & Clericis nach gemeinem Wahn der Rechtsgelährten heutiges Tages auff Sächſiſchen Boden; gleichesfals vnnd nicht weniger als denen Kriegsleuten zuſtehet &c. confirmans id etiam reſponſo quodam Fac. Iurid. Lipſ. ideoque ego cujusq; Reip. laudabiles leges ſpeciales, quarum condendarum poteſtatem ſibi vindicant Principes jure regalium majorum per analogiam ita dictorum (obiter hìc ventilanda quæſtio: an Status Imperii poſſint ferre conſtitutiones juri communi contrarias? R. quod præter jus commune poſſint extra dubium eſt; ad quæſtionem autẽ prædictam reſp. neg. quod regulariter) laudabiles conſuetudines hanc in rẽ attendendas eſſe & ſi Dd. id tributum non ICtis & Medicis tantùm, ſed magis Theologiæ Dd. & Profeſſ. id tributum exiſtimo cum Matth. Brunn. *de ceſſ. bon. quæſt.* 4. *n.* 1. *&* 2. non verò Dd. Bullatis vid. Wurmſ. *exerc.* 0. *l. Publ. theſ.* 49. & ab eo citat. Coler. *de proc. exec. d. l. num.* 135.

POSIT. XIX.

Reſpuit etiam Competitionis hæc noſtræ Facultas fidejuſſorem

juſſorem prædictarum perſonarum *l.24. de re judic.* perſonale enim, uti in *poſit.17.* dictum, beneficium noſtrum eſt, cujus natura, ut perſonas quibus in individuo quaſi conceſſum non egrediatur ſed cum iis extinguatur §.6. *I. de I. N. G. & C. l.14. ff. de LL. c.7. de R.I. in 6. l.25 ff de re judic. l.12. l.15 ff. ſol. mat. l.68. l.196. de R. I. l. ſunt qui 16 ff. de re judic. l.7. ff. de except.* per Dd. *in l. tam mandatori C. de non num. pec.* Hering. *de fidej. c. 27. part. 4. num.* 80. *p. m* 630. *& Gail. 2. obſ.144. num.* 8. *p m* 599. citatos. add. Socin. *reg. m.* 173 *fall. 4. p. 235.* Sed nonne videtur remedium noſtrum debitoribus in caſu quo fidejuſſores dati ſunt hodiè eſſe inutile propterea quod fidejuſſores ex Epiſtola D. Hadriani ſciamus beneficio inter duo alia, Diviſionis videlicet & cedendarum actionum etiam Ordinis ſeu excuſſionis munitôs §. *4. I. & auth. præſente C. de fidej.*? Ita Bachov. *ad §. fin. I. de act. & alii*, & rectè ſi juris ſubtilitatem ſpectare velimus; nam eâ inſpectâ certum eſt reum quoque principalem teneri in ſolidum, per ea, quæ in procem. fuere tradita; at ea, uti humanitate ſuadente non attenditur in reo, ita nec hìc in fidejuſſore per Don. & Duarén. *ad d. l. 23. & 24. ff. de re judic.* Perezio *d l. num. 34. p. m.* 464. citatos. vide Hering. *d. loc. n.* 81. ubi dicit cautelam Practicorum textibus præ allegatis & communi opinione munitam rectè ſe habere.

POSIT. XX.

Proximum eſt ut reliquis deſcriptionis noſtræ verbis quantum fieri breviter poteſt ſatisfaciamus: Impedit autem ne perſonæ noſtræ privilegiatæ in totum excutiantur effectus immediatè ex Competitionis facultate perveniens qui eſt Exceptio. Sed videamus 1. an ſit 2. qualis & 3. quomodo opponenda. Pro PRIMÒ adducimus *l.7. pr ff. de except. & l. ex*

bens ſtat immota, licet non nemo eam indubium vocaverit per aliquot argumenta, ad quæ ſuo loco reſpŏdebitur. Quod ad SECUNDUM dicimus cum Schneidew. *ad* §. *37. num.* 11. & communi rectâque Dd. ſententiâ, exceptionem eam eſſe cauſæ dilatoriam: non enim perimit actionem, ſed differt (notandũ in hoc conſiſtere eſſentiam dilatoriarum) tantum ſolutionem & exactionem ad tempus, quo maritus aut aliæ perſonæ ad pinguiorem perveniant fortunam & efficiantur ſolvendo *l. un.* §. *7. C. de rei uxor. act.*: præſumit quippe lex quemlibet infurum ditari poſſe *l.* 10. *C. arbit. tut. junct. l. cura* §. 1. *de mun. & hon.*

POSIT. XX.

Porrò ſi perſonæ privilegiatæ participes reddi deſiderẽt competitionis facultatis, neceſſe eſt exceptionem opponant, quo intermiſſo, cum facti ſint exceptiones, ad ea autem impertienda ex l. l. non ſit obligatus Judex Bachov. ad Treutl. *vol. 2. diſp. 26. th. 5. lit. c.* in ſolidum fieret condemnatio & executio; Oppoſito autem iſta fieri poteſt dupliciter & ante, & poſt ſententiam, ante tamen executionem. Priore caſu operatur ne reus condemnetur, niſi in id quod facere poteſt: poſteriore licet condemnatio facta ſit in ſolidum, moderatur tamen executionem; non verò obligationem, quia reus, uti poſit. ſeq. dictum manet obligatus per ea quæ habet Schneidew. *& ab eo allegati ad* §. *36. n* 12. *de act.*

POSIT. XXII.

Neque tamen Exceptionem oppoſuiſſe perſonas privilegiatas ſufficit, ſed formæ loco deciditur poſt Gl. *in* §. *36. de act.* perſonas illas privilegio hoc gaudere deſiderantes teneri cautionem de ſolutione integrâ faciendâ, quando ad meliorem & pinguiorem fortunam ſunt perventuræ, præſtare per text. *in l. un.* §. *7. C. de rei uxor. act.* qui textus licet de marito

tantùm

tantùm loquatur, ex identitate tamen rationis ad reliquas perſonas extenditur, cum ubi eadem eſt ratio, ibi idem quoq; jus ſtatuendum *l. à Titio* 108. *ff. de V. O.* & rectè: non enim liberantur à debito reſiduo, ſed manent obligatæ ad prædictum modum. Confirmat hanc ſententiam *l.* 63. §. 4. *ff. pro ſoc. & l.* 47. § 2. *ff. de pecul.* ubi de ſocio idẽ quod de marito deciditur.

Aſt quomodo præſtanda iſta cautio eſt, an fidejuſſoribus? an pignoribus? an juramento? Nullo horum, ſed nudâ repromiſſione, quæ regulariter generali cautionis vocabulo venit *per l. ſancimus* 3. *C. de V. & R. S.* Gl. *in cap. quâ fronte in verb. cautione X. de appellat.* Gail. 2 *obſ.* 47. *num.* 1, idque ſpecialiter docet Ulpian. *in d. l.* 63. § 4. *ff. pro ſoc.* Diſſentit Schneidew. & ab eo allegati.

POSIT. XXIII.

Videndum nunc quid perſonis ſuprà memoratis relinquendum, ubi notantum quod quando in jure paſſim dicitur eas ultrâ quàm facere poſſunt non eſſe excutiendas, τὸ facere poſſe in computatione ne egeant, non naturali (denn wie man im gemeinen Sprichwort redet: Wo nichts iſt / da hat der Käyſer das Recht verlohren.) ſed civili ratione accipiendum eſſe, ut ſcilicet is, qui de ſuo præſtare poteſt honeſtè, deducto eo quod ſatis eſt ad victum quotidianum & alimenta *l.* 29. *in fin l.* 30. *ff. de re judic. l.* 6 *ff. de ceſſ. bon. l.* 173. *de R. I.* facere poſſe intelligatur; Uti autem regulariter & quoties de favore alimentorum agitur lata eorundem interpretatio eſt, ita & hic comprehendendo videlicet cibum, potum, habitationem, veſtimenta, & alia ſine quibus vivere quis non poteſt, quæ eleganter & optimè explicat Joh. Jacob. Speidel. *in no-*

ci ad tria regulariter eſt habendus. PRIMUM conſiderandæ veniunt facultates ſive quantitas patrimonii, ubi diſquiritur, an amplum ſit patrimonium obligati reſpectu æris alieni, in quo tenetur creditori, quo caſu licet debitor una perſonarũ in ſuperioribus tactarum ſit, in ſolidum tamen debere fieri executionem, non obſtante quod eâ ratione cum minore ſplendore & apparatu vitam ſuam tranſigat, quàm uti hactenus factum, ſalvâ adhuc & integrâ omnium facultatum ſubſtantiâ. AD HÆC SIVE SECUNDO LOCO, perſonæ, in cujus gratiam deducenda alimenta, conditio, qualitas & honeſtas conſideranda omnino Judici eſt: cum Nobilis & alius in dignitate poſitus lautioribus & delicatioribus eſculentis & potulentis puta carnibus & vino & id genus aliis conſueverint veſci; contra ea, ſi ruſticus, vel ignobilis, huic minus pro alimentis deduci debeat: ruſticos enim non neceſſe eſt veſci pane albo, pullis & aliis delicatis cibariis, ſed pane atro, caſeo, cepis & fabis cõtentos vivere poſſe ſecund. Gl. *in l. 99.* ibi: *cibariis ff. de legat. 3.* cui reſpondet Germanorum proverbium: Brey in den Bauren/ Plenius de hoc Coler. *d. l. nu.* 122. & ſi debitor ſit artifex aut operatius, ita ut labore & exercitio artificii conſequi alimenta valeat, audiendus non ſit, ſi ad Competitionis facultatem confugere velit, ne ex laborioſo & induſtrio artifice validus mendicans contra *l. 1. C. de valid. mendic. lib.* 10. evadat Schneidew. *ad §* 36. *nu. 7. &* 8. *p.* 1604. Carpzov *part. 1. I. For. conſtit.* 32. *def.* 16. *n.* 5. TUM ratio habenda ætatis vel ſenii juvenis an ſenex perſona, ſani corporis, an valetudinaria ſit Schneidew. *c. loc.* & Coler. præcipuè *n.* 124. 125. POSTREMO ſi perſona talis habeat uxorem, liberos & familiam, quam de neceſſitate alere teneatur cum Weſembec. *part. 1. conſ.* 50. *n.* 22. hæc attendi vult Dn. Carpzov. *def.* 17. *n.* 3. 4. atque ita pronunciatum refert idem *ead. definit.* verbis: Wird dem-

nach

nach Ihro Gn. dem Herrn Debitori der Creditoren Verweigerunge ungeachtet/ ſo wohl zu Verrichtung der Ritterdienſte/ Unterhaltunge der Pferde/ alß auch zu jhrer und dero jhrigen alimentation jhrem Stande und Herkommen nach jährlichen eine gewiſſe Summa Geldes angeſetzt V.R.W. Hoc tamen poſtremum fallit, uti & in hâc ipsâ poſitione antevertimus dicere, maximè ſi creditor petens executionem, caſu quo ſolidũ non conſequeretur ipſemet laboraturus inopiâ eſſet: tunc enim ſi omnino egendum ſit, æquius erit debitorem indigere non habito reſpectu ad ſplendorem unde vivat, quàm Creditorem carere neceſſariis *ſecund. Iaſon. in §. item ſi de dote nu.* 10. *Coler. d. loc. & ibi citat.*: Creditor enim hoc caſu de damno certat vitando, cum ſui patiatur deminutionem patrimonii *l. 3. ff. de damn. infect.*; debitor vero de lucro dimicat captando *arg l. fin. C. de codic.* accedunt & tradita ſupra *poſit. 9 fallent. 5.* Subſiſtimus in hâc facti quæſtione ulteriora prudentis arbitrio judicis relinquendo cui tamen plurimum conferre adjumenti Dn. Carpzov. citata reſponſa poſſe, non dubitamus.

POSIT. XXIV.

Affinia conſtituunt reliqua beneficia quæ tractavit Vir Magn. Dn. D. Tabor & Caſpar Manzius *in citat. tractat.*

POSIT. XXV.

Ceſſat autem hoc beneficium ſi qua memoratarum perſonarum in dolo ſit, vel dolo fecerit quò minus poſſit (quamvis adverſus exceptos *in l. parens 5. per l. licet 7. ff. de obſeq. par. & patron. praſt.* neq; actione *d. l. 5.* neq; exceptione doli *d. l. 7.* ſed ſaltem in factum actione agi poſſit): facere enim hæc poſſe adhuc præſumitur, nec æquum eſt dolum quenquam ſuum

matrim. ubi ratio. Et hoc modo procedit quod Briſſon. & Calvin. in Lexic. jurid. tradunt erogantem bona ſua demum intelligi facere quò minus tacere poſſit *l. 68. ff. pro ſoc.* non verò acquirendi occaſione non utentem.

POSIT. XXVI.

Coronidis loco addimus Competitionis noſtræ Facultatem adeò haberi favorabilem, ut ei nullo pacto renunciari poſſit firmiter, quicquid etiam contraxerint debitores per text. in *l.* 14. §. *1. ff ſol. matrim.* Matth. Coler. *de proceſſ. execut. num.* 127. Matth. Weſemb. *part. 1. conſ.* 50. *num.* 20. quia privilegium hoc partem ex causâ reverentiæ, partem favoris publici ratione ſit introductum, ut fieri non poſſit, quin renunciatio ſit contra bonos mores *d. l.* 14. §. 1. Dn. Carpzov. *def.* 15. Socin. *in reg. renunciare m.* 419. *fall. 1. & 6.* Donell. ad *d. l.* 16. *ff. de re judic.* Enenckel. *d. tract. privil.* 18. *n. fin. p. m.* 958. & in ſpecie de parentibus. Barboſ. *d. l. n.* 23. *& ſeqq.* & de matre quæ tutelam liberorum geſtura, omni renunciavit beneficio Guttieritz. *2. pract. quæſt.* 26. *nu.* 2. de marito Barboſa *d. l. num.* 28. Gœdd. *ad l. 3 ff. de V. S. n. 4.* de milite Brunni *part. 4. quæſt.* 11. *n.* 5. de Seniore Feudi Schrader. *d. loc. n.* 96. 97. Neque tamen prædicta volumus generalia, ſed ex allegatis rationibus potiùs ſequitur, præter reverentiæ ratione ſibi conjunctos, necnon cui ob favorem publicum id fuit datum, cæteris v. c. ſocio, donatori, privilegio noſtro renunciare integrum eſſe Decius *in l.* 15. *n. 7. de re judic.* Coler. *d. l. num.* 129. Surd. *n.* 50. *usque ad fin.* Campeg. *in quæſt.* 245. *& q.* 268.

Excipit tamen quoad priores juratam renunciationem *n.* 26. ſed malè Surdus *dict. loc.*

SS. T. Laus & gloria immortalis.

CO-

COROLLARIA.

I. Uſucapio non contrariatur Juri Divino.

II. Mutatio nominum nonnullis receptiſſima, tanquam perverſa, legiq; non tantùm divinæ ſed & humanæ Civili contraria, averſanda.

III. Filiæ Lothi patris ſui imperata de proſtituendo ſeſe Sodomitis hoſpitum ſervandorum causâ, optimo jure recuſare potuiſſent.

IV. Conſenſum parentum ad τὸ eſſe matrimonii filiorum ius naturale ſive divinum morale, nec Canonicum requirit, proinde contractũ matrimonium ideò diſſolvi poſſe negandum.

V. Jus Canonicum nullam, niſi bonâ fide munitam, admittit præſcriptionem.

VI. Fidejuſſores minorum non gaudent beneficio reſtitutionis in integrum.

VII. Imperator ea quæ ſunt Imperii alienare ſine conſenſu Statuum Imperii non poteſt: Hinc nec donatio, quam Pontifex Romanus prætendit à Conſtantino M. factam, tanquam falſa valida de jure erit.

VIII. Juramentum circa eligendum Imperatorem

torem adhiberi ſolitum, rêmittére ſibi invicem Electores nequeunt.

IX. Feudum ut allodiale nullo unquam tempore præſcribi poteſt.

X. Theſaurus à Vaſallo in fundo feudali repertus pro dimidiâ parte Domino, pro alterâ dimidiâ Vaſallo cedit.

XI. Sanguis ex vulnere, ore, vel naſo hominis interfecti ad tactum vel acceſſum cujuſdam profluens, iudicium ad torturam vel condemnationem minimè, ad inquirendum autē benè facit.

XII. Partus ſeptimeſtris de J. Civ. pro legitimo & perfecto habetur.

XIII. Princeps Venationes ſuas contra ſubditos pœnâ mortis vindicare non poteſt.

XIV. Actio nautarum bona ob tempeſtatem ortam in mare projicientium certo reſpectu ſpontanea, certo invita, magis tamen ſpontanea quàm invita eſt.

XV. Fœminæ ſunt homines.

XVI. Data hoſti fides eſt ſervanda.

XVII. Bona naufragium paſſorum, ſi qua ditionem alicujus Domini appellendo attigerint, iisdem reſtituenda.

XVIII. Nemo Judicum pœnam, iure naturali & Divinâ providentiâ conſtitutam, mutare poteſt.

TECA ... ROMA ...